

minini, natus erit mollis, & effœminatus. In natiuitate mulieris si fuerint masculini, erit mulier uirilis.

Significatores coniugij in signis mobilibus, non dant fœlix coniugium, sed uarium & mutabile.

Si dominus ascendentis fuerit in signo communi, similiter pars Coniugij in communi, & Venus infortunata, natus non erit contentus in una.

Venus in signo mobili, significat instabilem cum mulieribus, & qui uix una contentus erit, & eo fortius in Cancro, uel Capricorno. In signo uero communi significat bonam desponsationem.

Si ascendens fuerit domus Veneris, & Mars in domo Veneris, uel Ascendens domus Martis, & Venus in domo Martis, erit mulier impudica. Idem erit si Ascendens fuerit Capricornus.

Si fuerit Mercurius Almuten super Venerem, & Lunam ac domum mulieris, & partem earundem, uel super plures eorum, erit uoluptas nati in pueris, & deludet eos.

Si Venus fuerit in domo Saturni, & Saturnus in domo Veneris, natus amabit masculos. Similiter erit si uice Saturni Mercurium acceperis. Venus in signo masculino idem facit. Venus & Mercurius iuncti in domo Saturni idem faciunt.

Dominus septimæ si infortunatur in angulo, natus fiet Sodomita.

Leo, Ascendens, & Sol, & Venus in eo in natiuitate diurna, natus erit Sodomita.

Saturnus, Iupiter, & Venus, in decima, & Mars in quarta, faciunt amatores puerorum.

Si extiterit Venus in septima, in Cancro, uel Capricorno, aspecta à quadrato, uel opposito, uel coniunctione Martis, natus erit scortator, quibus si Saturnus coniungitur, uel eos aspexerit, fueritq; genitura mulieris, ipse alias mulieres uel puellas supponet.

Venus in duodecima, mala notat coniugia, & si cum ea Iupiter fuerit, significat substantiæ paucitatem, sed à seruis exaltari. Si Saturnus, Mars, aut Mercurius, eam aspexerint, uel illi sint coniuncti, significant damnum in mulieribus, & filijs, & corporis maculam aliquam, aut occidi mulieris causa, uel fœminarum.

Sol in duodecima positus à mulieribus detrimenta minatur. Et si fortunæ testificentur, forte sustigabitur mulieris causa.

Venus domina nonæ, in ascendente uel decima, dat nato uxorem in terra aliena.

Pars fortunæ in tertia, decernit uxores extraneas. In natiuitate mulieris, maritum alienigenum.

Mercurius in quarta domo, cum Saturno, & Ioue, peregrinas decernit uxores, sed diuites.

Sol, & Venus in septima, uel si aspexerint ipsam domum, & signum septimæ fuerit domus alterius eorum, natus ducet uxorem extraneam, & raucam.

Omnes nati effœminati, aut natæ uiriles, non diu uiuent, Idq; expertum est. Si Luna & Venus extiterint in aliquo angulorum, in aspectu benigno Iouis, natus copulabitur cum consanguinea sua. Sed in hoc prius sunt uidenda generalia, scilicet lex nati, & alia huiusmodi.

Si fuerit Venus in domo, uel exaltatione Lunæ, aut e contra, natus copulabitur cum consanguinea sua.

Venus in domo uel exaltatione sua, aut in Cancro, significat desponsationem nati cum mulieribus, affinibus uel propinquis.

Mercurius in quinta domo cum Marte, significat quod cum affinibus copulabitur.

Ex sta